

certo debeat legibus? saltem ex allato JEPITE non probatur, ut ante dictum; sed neque sat solide aliorum argumentis. Nec enim omnia, quæ apud gentes constituta leguntur, uti est præscriptio, ideo juris gentium proprie dicti sunt, cum ex legibus exteris multa sibi gentes fecerint propria; sed ea solum, quæ communi gentium conventionem constituta sunt, ut iis gentes obligentur in ordine *ad se invicem*; etsi vero etiam præscriptio inter gentes ad se invicem etiam habere locum possit, ostendi tamen solide nequit, quod gentes eam sic *primo*, ante leges constituerint. Certe inter Fragmenta legis XII. Tab. Tit. 23. §. 5. legimus, peregrinos non potuisse usucapere adversus Romanos, licet hi contra peregrinos: *Adversus hostem* (quo nomine hic peregrinus intelligitur) *æterna auctoritas esto*. Igitur Romani hoc jus gentium non agnoscebant, cum gentium exterarum contra se usucapionem non suslinerent.

Ad prob. 4^m. R. N. Divisionem rerum primam factam esse jure naturæ; sed facta est jure gentium, ut hoc a jure naturæ presse sumpto distinguitur: jus enim naturæ illam nec præcipit, nec ad eam inclinatur tanquam aliquid simpliciter necessarium; sed tanquam ad quid conveniens in via civili, ac suppositis incommodis ex pravitate humana provenientibus; nam jus naturale, quantum est de se, omnia potius communia relinquit. Unde L. 3. ff. J. et J. Divisio illa soli juri gentium tribuitur: *Ex hoc jure gentium regna condita, dominia distincta*.

525. *Obj. III.* Sterilitas pecuniæ semper Catholicis certa fuit; ergo dum ex fecunditate pecuniæ colligitur partialiter ratio, posse a Principe permitti auctarium aliquod, damnatum, et hæreticum, ait P. Concina, assumitur principium.

R. D. *Ant.* Sterilitas pecuniæ naturalis C. industrialis, accedente scilicet industria hominis N. Hanc enim discimus ex jure, unde et illam discere potuisset P. Concina, scilicet: *Nec enim debet ei sterilis esse pecunia*, L. 3. §. 4. ff. de Contr. Tutel. et utili Act. Item: *Nummi steriles ex eo tempore non erunt*, L. 7. ff. 7. de Usur. et fruct. Consulantur etiam de hoc mercatores, negotiatores. Nimirum res quælibet fructificat secundum conditionem naturæ suæ; quædam res sine accedente opera hominis; quædam non nisi ea accedente: sicut igitur ager mediante seminatione, domus mediante obligatione civili, sic pecunia mediante industria hominis fructificat.

526. *Obj. IV.* Frustra ad vindicandam honestatem talis statuti Principis assignantur causæ publicæ num. 522.; ergo. *Prob. Ant.* Nam 1^o. Deus prohibens usuras vel tum scivit *lites* futuras, vel non? Si *primum*; improvide egit prohibendo: si *alterum*; ignorans dicendus esset. Similiter 2^o. si *facilitas obtinendi mutuum* assignetur pro causa; igitur rursus Deus prohibendo usuras turbavit bonum commune; huic male providit; item inepte Ecclesia per tot secula per tot Canones vexavit fideles; damnavit usuras. 3^o. Eadem illationes tenent in causis aliis, velut in *subsidio*, quod inde *obvenit Ecclesiis, viduis, personis miserabilibus*.

R. N. *Ant. Ad 1^{um}*. R. Adæquata retorsio in præscriptione est: vel Deus prohibens retentionem rei alienæ tum scivit *lites* futuras, turbandas conscientias, etc. vel non? Si *primum*: improvide egit prohibendo; si *alterum*;

ignorans dicendus est. Item in matrimonio clandestino, de quo ait Tridentina Synodus, gravissimis ex hoc matrimonio malis oriri solitis præcavendis efficax esse medium adhibendum, ideoque tale matrimonium declarat nullum. Unde sic rursus: vel Christus scivit mala ex matrimonio clandestino oritura, vel non? Si *prius*; ergo improvide egit in sua ordinanda Ecclesia non prohibendo hoc conjugium: si *posterius*; ergo ignorans dici debet. En quam belle concludat argumentum. Ut inanitas sophismatum illorum amplius pateat, quot actus alii fuerunt irritati a jure humano, qui, spectato jure naturali valebant, contractus pupillorum, minorennium, fidejussio mulieris, hujus consensus in alienationem prædii dotalis, renunciatio hæreditatis paternæ factæ a filia; imo quot prohibiti? Hancque irrationem, prohibitionem nemo injustam dicet; at quis inde prudens inferat: ergo Deus et natura improvide actibus illis valorem indulserunt, non prohibuerunt; turbaverunt bonum commune, etc. Unde

R. 2^o. N. *utramque seq.* Nec propterea improvidus fuit, nec ignorans; præsciens omnium satis providit, dando potestatem Principibus ac summis magistratibus potestatem ferendi leges circa bona subditorum, prout temporum ac locorum diversitas et æquitas postulaverit.

Si dicas: Sed tamen Concilium Viennense et Lugdunense non solum usuras, sed etiam talia statuta reprobaverunt usuras licet moderatas tantum permittentia.

R. Reprobarunt usuras strictè dictas tantum, quæ injuste, vi mutui exiguntur C. secus N. *Iterum etiam D.* Reprobarunt statuta Principum, qui summo imperio pollent N. officialium subordinatorum, ut sunt *communitatum potestates* (*Podestà* vero Italis est Prætor civitatis), *capitanei, lectores, judices, consiliarii et similes C.* Ideo enim eos jubet Concilium talia statuta ex libris communitatum delere, *si super hoc potestatem habuerint*; igitur Principes summos, qui hanc potestatem per se habent, non intelligit; de quibus in Concilio nequidem fit mentio.

527. *Obj. V.* Nusquam extat tale statutum; imo in variis Imperii recessibus contrarium asseritur, velut in comitiis Augustanis anno 1500. in Reform. Polit. Augustæ anno 1530. in Comitiis Ratisbonensibus anno 1532. Tit. 8. et anno 1541; ergo.

R. N. *Ant.* Præter ea enim, quæ pro auctario a creditoribus accipiendo statuuntur, L. 17. pr. ff. ac L. 5. 26. *Cod. h. t.* imprimis de usuris sive auctario a *tempore moræ* extare in imperio Germanico tale statutum, negari nequit; de his enim ita diserte statuit recessus Spirensis anno 1600., ut, de quo in deputatione Wormatiensi anno 1586. jam esset conventum (quod tamen nondum erat promulgatum) in contractu mutui, quando debitor in mora restituendi pecuniam mutuam est, adjudicentur creditori 5. pro 100. loco interesse a tempore moræ, ex præsumptione, quod creditor ab hoc tempore, licito modo ad minimum potuisset obtinere lucrum ad proportionem 5. pro 100. Hoc statutum esse ait Imperator ad tollendas nimias prolongationes processuum, et ne Camera imperialis nimium obrueretur litibus. De *usuris conventionalibus* major est questio, an de his extet statutum Imperii, ut simile auctarium exigere liceat a *die conventionis*, quo mutuans de eo convenit cum mutuuario? At etiam quoad *conventionales* tale statutum contineri

censemus in comitiis Ratisbonensibus de anno 1634. §. 174. ubi indistincte decernitur, tam de annuis reditibus venditis, ex contractu censuum redimibiliis, quam de pecunia mutuo accepta pendendas esse usuras, etiam conventionales, non solum a tempore moræ, sed etiam conventionis. A quo tempore communis praxis non supremorum tantum Imperii, sed quorumvis in eo tribunalium obtinuit, ut auctarium conventum, si moderatum sit juxta Imperii leges ac consuetudinem, adjudicetur creditoribus; adeo ut, si quod de comitiis Ratisbonensium sensu esset dubium, id tolleret universalis illa praxis, semper alias legum optima interpretis.

Alii vero recessus oppositi supra non sunt ad rem; loquuntur enim de censu excessivo vi contractus censualis exigi solito, quem excessum vetant, ut legenti patet; quin si qua ratione etiam contrarii essent, non stringerent modo, iisque derogaret conventus Ratisbonensis, sicut lex posterior priori.

Inst. 1. Constitutio Ratisbonensis solummodo intelligenda est de debitoribus, qui calamitatibus belli tricennalis fortunæ lapsi, aut usuris nimium aggravati; ergo non est data constitutio universalis pro Imperio. *Prob. Ant.* Nam in instrumento pacis Casareo-Suecico anno 1648. insertum fuerat *Art. 8. §. 5.* hoc monitum: *De indaganda aliqua ratione et modo æquitati conveniente, quo persecuciones actionum contra debitores, ob bellicas calamitates fortunæ lapsos, aut nimio usurarum cursu aggravatos moderate terminari possint, Casarea Majestas curabit exquiri tam judicii aulici, quam cameræ vota et consilia, quæ in futuris comitiis proponi, et in constitutionem certam redigi possint;* ergo constitutio Ratisbonensis, quæ anno 1634. prodit, de dictis solum debitoribus intelligenda est.

R. N. Ant. Ad prob. N. Cons. Equidem ita postulabatur in instrumento; constitutio tamen Ratisbonensis, quæ sexto post instrumentum illud anno primum prodit, non de iis solum, qui in bello fortunæ lapsi, sed de debitoribus universim procedit; atque ita postulatio illa instrumento inserta, etsi constitutionis illius diei occasio possit, non tamen ad illos solos debitores restringitur, ut ex tribunalium usu amplius advertimus, quæ continuo, non habita ratione, an debita belli tempore contracta vel non, an debitores essent fortunæ lapsi, vel non, creditoribus adjudicantur §. pro 100.

Inst. 2. In comitiis Ratisbonensibus adjudicantur creditoribus §. pro 100. ex supposito, quod adsit titulus alias justus, in Imperio receptus, quando scilicet debitor est in mora; ergo. *Prob. Ant.* Nam in constitutione additur, solvendas esse quincunces *juxta tenorem constitutionum Imperii;* hæc vero usuras alias non admittunt, nisi quod interest post moram ex præsumptione damni emergentis, vel lucri cessantis.

R. N. Ant. De hoc supposito nihil enunciat constitutio. Et vero jam erat constitutum in Imperio, scilicet in recessu Spirensi anno 1600., ut a tempore moræ ex præsumptione lucri cessantis, damni emergentis, debeant creditoribus adjudicari §. pro 100. non ergo hoc poterant postulare a Cæsare, neque hoc velle potest Ratisbonensis constitutio. Unde

Ad prob. R. 1º. Nec deputati in comitiis Ratisbonensibus, nec Principes in formula a se concepta et Cæsari oblata, cui conforme est decretum Cæsareum, inseruerunt verba illa: *juxta tenorem constitutionum Imperii;* a quo vero addita sint, nescitur.

R. 2º. Quicumque illa addiderit, non tempus moræ ac tunc præsumptionem lucri cessantis, vel damni emergentis, sed quantitatem usurarum respiciunt, ut sensus sit: ut occasione mutui quancumque, etiam a tempore conventionis, adjudicentur usuræ juxta tenorem constitutionum Imperii, id est, non in majore quantitate quam §. pro 100. quot scilicet a tempore moræ concesserat recessus Spirensis.

Inst. 3. GREGORIUS XIII. anno 1581. respondit Wilhelmo Baviaræ Duci, usurarium esse contractum, dum quis alteri cujusvis conditionis homini dat pecuniam, ad nullum certum usum, ea lege, ut ex pacto jus habeat accipiendi quotannis a mutuatario §. pro 100, sive hic ea pecunia fructificet, sive non; ac licet mutuans nullum sive annui lucri, sive sortis subeat periculum, eo quod tale pactum ad nullum alium contractum quam mutui reduci possit, ideoque esse jure naturali et divino prohibitum, *ut per nullam consuetudinem, aut legem humanam excusari possit;* ergo vel non extat tale statutum in Imperio; vel, si extet, non est tenendum.

R. D. Excusari non potest, ut vi mutui præcise exigatur lucrum *C.* secus *N.* Contractus propositus GREGORIO eo tempore revera ad nullum contractum alium, quam mutuuum reduci poterat; tum enim temporis emptio census maxime vigeat in Germania, at quia in casu supponitur dari pecunia *cujusvis conditionis homini,* sive hic habeat bona fructifera, sive non; ac sive persona esset fructifera, sive non, præterea vero nec favere supponitur periculum annui lucri, vel sortis; pactum de solvendis §. pro 100. non poterat reduci ad emptionem census, si nec mutuatarii persona esset fructifera, nec fructifera bona haberet, sed eo casu committebatur usura palliata, ideoque hoc sensu recte ait Pontifex, tale pactum nihil aliud esse, quam ipsum contractum mutui, ac proinde per nullam consuetudinem, aut legem humanam excusari posse; quod verum est, quia nec consuetudine, nec lege excusari potest, ut quid exigatur vi mutui. Utrum vero vi statuti Principis fundati in causis publicis mutuo extrinsecis quid exigi possit, non petebatur a Pontifice; nec eo tempore hoc controvertebatur; igitur neque eo extendi debet responsum Pontificis. Fuisse autem in Germania tunc in usu maxime contractum censualem, patebit ex dicendis de hoc contractu in specie. Ac licet etiam contractus societatis hic illic fieret; æque tamen parum ad hunc reduci poterat dictus contractus, quam ad censualem, eo ipso quod pecunia data supponatur *cujusvis conditionis homini.* Quod demum Pontifex damnare nolit alios contrahendi modos in Germania, ipse declarat adjecta clausula apud Ballarium: *Si tamen in Germania est aliquis, in quo quinque pro centum accipiuntur aliis modo et forma, quam supra dictis celebratus, non per hæc talem damnare, aut probare intendimus, donec specialis fiat de eo expressio, et consideratio: ac, quid de eo sit sentiendum, decernatur.*

§28. Ex disputatis hactenus facile colligitur, multo magis ab usuræ vitio immunes esse *Montes Pietatis,* id est, acervos, vel collectiones quasdam pecuniarum, aut aliarum rerum usu consumptibilium, ut inde egentibus sub pignore credatur. Et quidem si *Montes Pietatis puri* sint, hoc est, ubi nihil supra sortem exigitur a mutuatariis, per se constat, non solum licitos esse, sed et monito Evangelico: *Mutuum date, nihil inde sperantes,* omnino conformes. Si *mixti* sint hoc sensu, ut in iis aliquid supra sortem exigatur

a mutuataris, ut Mons servetur indemnis, ac ministris Montis sua compen-
setur opera, pariter certum est, eos esse innoxios, ex Conc. Gener. Latera-
nensi V. habito anno 1545. Sess. X. quod et acrem controversiam propterea
ortam diremit; cum enim pro his Montibus præter Theologos et Juriscon-
sultos plures starent Religiosi S. FRANCISCI, ii præsertim, quos ab *Observantia*
nominamus, acriter se opponebant plerique Religiosi S. DOMINICI, ac quidam
alii. At Concilium, commendato utriusque partis studio, alterius quidem par-
tis justitiæ zelo; alterius veritatis et pietatis amore, ut subveniretur pauperi-
bus, deinde declarat: *Montes Pietatis, in quibus pro eorum impensis et indemni-
tate aliquid moderatum ad solas ministrorum impensas, et aliarum rerum ad
illarum conservationem pertinentium pro eorum indemnitate duntaxat ultra
sortem absque lucro eorundem Montium accipitur, neque speciem mali præ-
ferre; nec peccandi incentivum præstare: neque ullo pacto improbari; quin
imò meritorium esse, ac laudari et probari debere tale mutuum.*

Si vero *mixti* sint hoc sensu, ut Mons iis, a quibus mutuas pecunias
recipit, solvat annuos 4. aut 5. pro 100., ac simul ut Mons se ipsum inde-
mnem conservet, tantumdem exigat ab iis, qui sub pignore ex Monte mu-
tuum sumunt, ultra aliam summam pro expensis ministrorum et custodia
pignorum solvendam, adeo ut mutuataris, quibus videlicet mutuum præ-
statur ex Monte, præter summam capitalem, octo, novem, vel plures pro
centenario solvere annuatim debeant, ut in Montibus Belgicis, ac Italicis
quibusdam fit; varii hos Montes usurarios putarunt: a qua tamen labe eos
immunes pronunciant non solum Jurisconsulti ac Theologi Belgæ plerique
cum LESSIO, de COCQ. ZYRÆO, STEYAERTIO, ac aliis exteris communiter; sed
et Archiepiscopi et Episcopi in Belgio idcirco consulti. Ac quidem si ex parte
Montistarum concurrat titulus lucri cessantis; vel interveniat emptio cen-
sus super Monte fundati, etsi utrinque redimibilis, qualis communiter
intervenire solet, et præsumitur saltem in iis terris, in quibus constitutio
Pii V. *Cum onus* non est recepta, per se patet, nihil injustitiæ in his Mon-
tibus admitti; cum enim justis hi tituli sint alias, servata æqualitate, ut
partim dictum, partim dicetur, cur non in illis Montibus? Deinde aucta-
rium, quod exigitur, indemnitate maxime Montis, hujusque in bonum
egentium conservationem, ac augmentum respicit. Ac demum, ut HENRIC.
a S. IGNATIO in *Ethic. Amor. Tom. 2. Lib. 9. cap. 36. num. 419.* inquit,
*cum Montes illi publica erecti sint auctoritate, in commune bonum, Prin-
cipes, tanquam patres communitatis, habentesque dominium eminentiale in
bona subditorum, supplere censentur, si quid aliunde ad eorum justitiam
forte deesset, Montibusque concedere jus in auctarium, non titulo mutui, sed
communis boni, et contributionis in illud.*

ARTICULUS V.

DE COMMODATO, ET DEPOSITO.

§29. *Dico I.* Commodatum est contractus realis, nominatus, juris gen-
tium, quo res ad certum usum ita conceditur gratis alteri, ut finito usu
eamdem restituat in specie. §. 2. *Inst. quib. mod. re contrah. oblig. L. 7. ff.
de Pact. L. 2. ff. de Reb. cred.*

Dicitur 1^o. quoad *certum usum*, quia proprietas manet penes commodan-
tem, secus ac in mutuo accidit. Inde et sequitur 1. quod, usu nondum
finito, revocari nequeat a commodante, L. 17. §. 3. ff. et L. 3. C. h. t.
Excipe tamen casum, quo dominus ex improviseo eventu eum in statum
deveniret, ut sine magno incommodo re sua carere non posset, *arg. L. 3. C.
Locat. 2.* quod commodatarius rem commodatam ad usus alios, citra fur-
tum usus, adhibere non possit. §. 6. 7. *Inst. de obl. quæ ex delict. L. 5. §. 8.
ff. Commod.*

2^o. *Gratis*; quo a locatione differt. Unde si pro commodato quid detur
mercedis loco, hoc in alium contractum degenerat, ac quidem in locatio-
nem conductionem, si id, quod datur, certum sit, et in pecunia numerata
consistens, §. 2. *Inst. quib. mod. re contr. oblig.* Si vero in re alia in contra-
ctum innominatum, L. 5. §. 12. ff. *Commod.* Merum tamen honorarium
commodati naturam non mutat.

3^o. Ut restituat *eandem in specie*. Hinc commodatum in iis rebus, quæ
usu absumuntur, nequit consistere; nisi forte rei fungibilis usus citra con-
sumptionem fuerit, ut cum commodatur pecunia ad ostentationem, vel
etiam oppignorandam alteri. L. 3. §. fin. ff. *Commod.*

Dices: Commodatum sic descriptum non differt a *precario*; nam et in
hoc res gratis ad usum conceditur restituenda in specie.

R. N. *Ass. Prob. D.* Conceditur eodem modo N. diverso C. *Precarium*
enim est conventio, dum quis precibus petenti rem gratis utendam concedit,
nullo utendi fine, vel modo præscripto, id est, quamdiu is, qui concessit,
patitur, L. 1. ff. *de Precar.* Unde res precario data revocabilis est ad libitum
dantis. Secus in commodato se habet. Porro precarium, L. 14. ff. h. t. nega-
tur esse contractus, id est, vere et perfecte talis; nihilominus eo *reductive*
pertinet; suo enim modo contractus reales imitari conatur; traditur enim
in eo res cum jure utendi, etsi ad libitum revocabili.

Utrum vero in commodato sit compensationi aliquando locus? non sine
commodo quæritur. Pro cuius decisione controversiæ

Observa: quæstionem non moveri de *specie* commodata, vel *corpore*; cer-
tum enim est, quod species commodata, vel corpus compensationem refugiat,
hoc est, commodatarius pro debito 100. aureorum, quos ipsi debet commo-
dans, nequit retinere e. g. equum, vel vas pretiosum commodantis, ejusdem
cum debito valoris, sed tenetur illud restituere in specie; a materia enim
compensationis expresse excipitur *corpus*, sive res in specie debita, L. 18.
ff. *de pignor. act.* Deinde compensatio est solutionis species, L. 4. ff. *qui pot.
in pign.* Sed aliud pro alio invito creditori solvi non potest, L. 2. §. 1 ff. *de
R. C.* Ac ratio est affectus subinde singularis, et quia domini sæpe spe-
cialiter interest, ut speciem sive corpus habeat. Unde in eo solo quæstio
vertitur, an *quantitas rei commodatæ* compensationem admittat? ut si
commodatarius rem commodatam sua deteriorando vel corrumpendo culpa
commodanti 100. aureorum intulerit damnum, et commodans commoda-
tario 100. aureos debeat, an, si tunc commodans agat actione commodati,
commodatarius possit opponere exceptionem compensationis? Negant HAR-
PRECHT. ANT. FABER aliique: affirmat eum ZOES. communior. Cum hac

§30. *Dico II.* Quantitas rei commodatæ compensationem admittit.